

Leben des Abtes Franz Hertenstein von Ettenheim-Münster.

187

abbatem* (Quamquam hunc non continuo) una cum quinque sexve suis religiosis sustentavit, quod huic ipsi abbati nunquam consiliis opibusque defuerit adeo, ut noster merito alicubi ista literis consignarit: „quid retribuam Sancto Gallo pro omnibus, quae retribuit mihi?“ His ex ordine ecclesiastico praecipuis amicis atque fautoribus magnis accensendi de statione laicorum sunt multi, non proletariae conditionis, patroni, e quibus priore quidem loco nominare licet: serenissimos Badensem ac Durlacensem marchiones**, quorum patrocinium ab anno 1660 usque ad annum 1686 nostro nunquam defuit. Proximus secundum hos locus debetur illustrissimae Fürstenbergensium comitum familiae, qui omnes exemplo herois e familia sua incomparabilis Francisci Egonis, tum abbatem Franciscum praecipue, tum monasterium Ettonianum generatim nullis sibi nominibus devinxerunt. Hos excipiant excellentissimi ac antiquissimi quondam comites Hanovienses¹***, qui singularem, qua nostrum prosequerentur, affectionem non uno argumento comprobarent. Id ipsum praestitit ab anno 1657 usque ad annum 1681 comes Cronenburgicus, tunc temporis dynastiae Geroldseggianae dominus, cum cujus antecessoribus ac successoribus etsi perpetuae fere disceptationes intercesserint atque etiam dum ex parte intercedant, eae tamen vivente Francisco penitus sublatae videbantur; adeo exacte tum comes ille, nostri dexteritate devinctus, omnia viciniae ac amicitiae jura observavit. In amicorum quoque numerum referre par est, excellentissimos dominos, barones atque supremos in acie caesarea Vigiliarum praefectos Garnierium et Schüzium, nec non Carlium Boedikaimium ac Schawenburgium legionum protribunos, qui nostro,

¹ Hannovienses, 5f.

wird. Unter dem 21. November 1677 schreibt er: Ettenheim-Münster est spoliatum. Dominus abbas, fugiens Gallos versus Geroldsecke incidit in Caesarianos, qui illum spoliarunt. Exissent totum, ni unus obstitisset. Pro meliori dederunt illi deteriorem equum. Modo dum scribo in Febr. 1678, dicitur [Franciscus] esse in Suevia zu Weingarten.

* scil. Franciscum.

** Markgraf Wilhelm von Baden-Baden 1622–77 und seine Söhne und sein Enkel Ludwig Wilhelm und W. Friedrich V. von Baden-Durlach 1622–59, sowie dessen Nachfolger Friedrich VI. bis 1677 und Friedrich Magnus. Die Söhne des W. Wilhelm, Ferdinand Maximilian (gest. 1669) und Hermann (gest. 1691) haben die Studien in der Landesgeschichte sehr begünstigt. Unter dem Markgraf von Baden-Durlach ist wahrscheinlich Friedrich VI. verstanden, der auch Vorliebe für wissenschaftliche Arbeiten hatte.

*** Der Verfasser will hier die Grafen von Hanau-Richtenberg, nämlich die Brüder Friedrich Casimir 1628–1685, Johann Philipp 1626–1669 und Johann Aenatus 1628–1666 bezeichnen.

partim consiliis, partim auctoritate sua non raro profuerunt. At illustris dominus Christophorus liber baro de Wangen*, episcopalis regiminis in saecularibus vices gerens ab anno 1661, non modo rebus monasterii, ubicunque potuit, impense favit, sed et turbidis saepe temporibus consilio suo saluberrimo id ipsum saepe exemit in adipiscenda etiam principis episcopi gratia praecipuus nostro proxeneta**. Hunc, si non meritis, propensa saltem in monasterium voluntate exaequarunt, nobiles: Waltherus de Didenheim et Zornius de Bulach, quorum ille regiminis episcopalis cancellarius, hic autem Benfeldensis in Alsatia dynastiae episcopi nomine praefectus, uterque juvenis monasterii rebus promptos sese nunquam non praebuerunt ab anno 1654 usque ad annum 1665. Denique, ut plures alios brevitatis ergo missos faciam, appellandi hoc loco sunt insignes aliquot ex Lutheranorum partibus doctores Argentinenses, Rebhanus, Hammererius, Seubertus, Kiefferus etc., qui nil se indignum patrasse rati sunt, si monasterio atque abbati nostro aut consiliis aut operis suis gratum praestare aliquid potuerunt. In parandis vero amicis eam, quam inter Laconicorum apophthegmata*** recenset Plutarchus, legem tenuit noster accurate, sermonis scilicet comitalem et in praestandis officiis utilitatem. Majores se demississima inserviendi alacritate demulsit flexitque, minores vero atque aequales nullo non officiorum genere demeruit, sibi que artissime devinxit: nunquam tamen magnatibus nimia familiaritate jungeretur probe intelligens, quod experimentis edoctus sumus, id monasterio compluries multorum atque magnorum malorum causam exitisse.

9. Jura monasterii defendit. Isto praecellenti amicorum apparatu potissimum nixus molem illam negotiorum magnam, quae defendenda monasterii jura facessabant, constans sustinuit. Etsi enim a causis agendis vehementer abhorraerit, quia (quod ipse anno 1657 Gengenbacensi abbati† ab eo consultus perscripsit) monachorum causae ubique essent exosae, jura tamen monasterii sui propugnandorum necessitatem experiri frequenter debuit. Quippe ex parte episcopatus varia monasterii jura non uno modo, nec

* Franz Christoph von Wangen war Stift. Straßb. Vicarum 1673.

** προξενότης, der Vermittler.

*** Αποφθέγματα Λακωνία. Wahrscheinlich ist folgende Stelle daraus gemeint: — Εἰ ἤδιστα μὲν ἔρη, ἀντοῖς διαλέγοντο, ἀπελιμύτιστα δὲ προσφύοντο.

† Abt Columban Meyer von 1638–1660. Den Brief selbst fand ich nicht.